

item vocationis nostræ. Quo fine, inquit aliquis, ista tam prolixè disputantur? Hoc nimirum; ut ostendam, quî studiosi in studiorum Oceano versari debeant, & cum suis hostibus conflictari. Ego certè cum utroque illo, de quo dixi, studiorum hoste, multum diuq; dimicavi, & in hunc usq; diem dimico. Utinam feliciter! Quî dimicarim, tu judica, judicio qui polles, Lector. Tibi enim, non mihi, studeo: tibi ut me approbem, bonâ fide studeo. Summa; id unum studeo, ut jucundas, ac fructuosas simul faciam horas meas, sed tibi. Eam ob causam è congerie inquietissimarum mearum cogitationum (cum Scaligero loquor) eruo, quæ tibi prodesse, quæ te delectare possint. En indicem hujus rei, Panaceam Philosophicam! De eâ duo te præcognoscere, præfationis loco, velim; unum est de fine, alterum de modo operis. Finis è titulo seu inscriptione colligi potest. Panacæam voco, id est, universalem Medicinam, non chymicam, sed philosophicam; quâ scilicet morbus, quo laborat intellectus in cognitione rerum, verborum, & modorum, tolli potest. Ista panacæa, uno verbo, est methodus, quam in omnibus & singulis facultatibus atq; disciplinis observare decet. Vides finem, Lector; aut si non vides, nihil vides: aut si vides, & dissimulas, invides. Modus operis est & arctus, & accuratus. Arctus quidem: quia stat sententia *σὺν θεῷ* plenius aliquando designare methodum singularum disciplinarum, ex legum hæc positarum imperio. Est & accuratus.

Id ve-

Exerc. 367.
sect. 9.

Methodus
est panacæa
Philosophorum.